

cerdote legga ad alta voce la considerazione corrispondente ad ogni Mistero e Stazione e dopo recitato un *Pater et Ave* e fatto un atto di Contrizione si tiri innanzi, cantandosi fra una Stazione all'altra il *Stabat Mater*, o altra Orazione, avvertendo tutti di contenersi con somma modestia, silenzio, e raccoglimento, mentre per l'esperienza dimostra, che questo Santo esercizio praticato con pietà e divozione introduce a poco a poco ne' fedeli d'ogni condizione l'uso del meditare, e la riforma de' costumi.

6.º Che praticandosi privatamente non è necessario recitare sei *Pater et Ave* ad ogni Stazione, come alcuni suppongono, ma basti meditare benchè brevemente la Passione del Signore che è l'opera ingiunta per fare acquisto delle Sante Indulgenze e conforme all'uso introdotto recitare un *Pater et Ave* ad ogni Croce e fare un atto di Contrizione.

7.º Che essendo eretta la Via Crucis nella Chiesa per quel tempo degli Uffizii Divini, e della Santa Messa e quando in Chiesa vi sia tal concorso di popolo che possa cagionar tumulto, si astenghino di praticarla, tanto maggiormente, che non essendovi impedimento si devono visitare ad una ad una tutte le Stazioni.

8.º Che dovendosi erigere la Via Crucis in qualunque Monastero di Monache o Conservatorio non è necessario entrare nella clausura, ma basta che un Religioso del medesimo Ordine d'età matura e qualificato, come s'è detto nel terzo avvertimento con licenza dell'Ordinario, benedica le Croci alle grate e faccia una breve istruzione alle Monache, ed altre che si trovassero in tal Monastero o Conservatorio circa il modo, con il quale è necessario di visitare le Croci per partecipare delle Indulgenze e riportarne profitto per le anime.

9.º Che non si pubblici dai Pulpiti, nè in altra forma e molto meno si scriva nelle Cappellette, o Stazioni un numero certo e determinato delle Indulgenze che s'acquistano, poichè si è conosciuto in più occasioni, che o per inavvertenza, ed equivoco o per trasporto di divozione si altera o si confonde la verità delle Indulgenze; e perciò basti dire che chiunque s'impiegherà a meditare la Passione del Signore in questo Santo Eser-

cizio, acquisterà per concessione de' Sommi Pontefici le stesse Indulgenze, che acquisterebbe, se visitasse personalmente le Stazioni della Via Crucis di Gerusalemme. Dato li 3 Aprile 1731.

L. CARD. PICO PREFETTO.

Gio. Arcivescovo di Tiro Segr.

LXVIII.

An expediat concedi facultas applicandi pro Defunctis Indulgentias hactenus concessas et concedendas vivis fidelibus?

Sac. Congregatio diei 19 Maii 1731 respondit « Consulendum Sanctissimo, expedire quoad Indulgentias concedendas, et quoad concessas renovandas, detur facultas applicandi eas pro Defunctis, non tamen per Decretum generale quod induceret novam praxim ».

LXIX.

Cum pro parte Procuratoris Generalis Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Cappuccinorum nuncupat. humillime supplicatum fuerit pro declaratione dubii « *An Ecclesiae, Cappellae, et Oratoria publica in Residentiis et Hospitiis Missionum praefati Ordinis gaudeant Indulgentiis generaliter concessis omnibus Ecclesiis Ordinis ejusdem?* » Sac. Congregatio Indulgentiis et Sacris Reliquiis praeposita die 27 Martii 1732 censuit, gaudere et dummodo tamen Ecclesiae et Oratoria sint publica et fixa, et ad quae confluent Fideles ad Sacrum audiendum, et ad recipienda Ecclesiae Sacramenta. Quibus relatis per me infrascriptum Secretarium sub die 11 Junii ejusdem anni Sanctissimo Domino Nostro Clementi PP. XII, Sanctitas Sua benigne approbavit.

L. CARD. PICUS PRAEF.

J. Archiepiscopus Tyri Secret.

LXX.

JANUEN.

An satis sit Monialibus pro executione Brevis septem Altarium, eorum loco septem distinctas Icones tantum habere, ac pro Indulgentiarum assecutione illas distinctim visitare?

Sac. Congregatio diei 4 Septembris 1732 respondit « Negative ».

LXXI.

ORDINIS MINIMORUM S. FRANCISCI DE PAULA.

An facultas aggregandi extra Urbem Confraternitates sub Instituto S. Francisci de Paula sit PP. Generalibus Ordinis Minimorum concedenda?

Sac. Congregatio diei 20 Januarii 1733 respondit « Ad mentem Eminentissimi Praefecti cum Secretario, et Mens est, supplicandum Sanctissimo ut dignetur PP. Generalibus dicti Ordinis facultatem impertiri erigendi, accedente consensu Ordinarii, utriusque sexus Confraternitates ejusdem denominationis et Instituti, easque jam erectas Archiconfraternitati in Urbe institutae aggregandi, omnesque et singulas Indulgentias et gratias a Summis Pontificibus dictae Archiconfraternitati concessas illis communicandi; servata tamen forma Constitutionis a San. Me. Clemente VIII super erectione et aggregatione hujusmodi Confraternitatum editae. « Sanctissimus annuit. »

LXXII.

ORDINIS S. BASILII.

An Indulgentia Plenaria perpetua visitantibus Ecclesias Ordinis Basiliani die Festo S. Gregorii Nysseni sit concedenda?

Sac. Congregatio sub eadem die respondit « Plenaria perpetua die Festo S. Gregorii Nysseno pro omnibus visitantibus Ecclesias Monachorum; in Ecclesiis autem Monialium pro ipsis solis.

LXXIII.

Delatis iudicio Sacrae Congregationis Indulgentiarum quamplurimis Summariis Indulgentiarum, atque privilegiorum sub asserito nomine Confratrum Ord. Sanctissimae Trinitatis Redemptionis captivorum in variis locis praecipue Hispaniarum editis, quae non modo non sunt ex recognitis et approbatis ex eadem Sacra Congregatione, verum etiam continent multas Indulgentias et Indulta falsa, atque a Summis Pontificibus jam revocata.

Eadem Sac. Congregatio confirmando decretum editum sub die 7 Martii 1678 non evulgandi summaria Indulgentiarum sub nomine Confratrum, tam praefati, quam cujuscumque alterius Ordinis a Sac. Congregatione non recognita; nec non prohibitionem cujuscumque similis Summarii factam sub die 20 Decembris 1718 praefata itidem reprobavit et districte prohibuit, omnibusque sive saecularibus, sive regularibus sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae mandavit, ne in posterum alia imprimantur, aut publicentur summaria Indulgentiarum et signanter sub nomine ut supra Confratrum ejusdem Ordinis, quam ea quae sub die 28 Novembris 1678 et 16 Septembris 1723 ab ipsamet Sacra Congregatione recognita et approbata fuerunt, atque de his omnibus dari litteras ad Nuncium Sedis Apostolicae, ac ad omnes Hispaniarum Archiepiscopos et Episcopos juxta institutionem.

Et facta de praedictis per me infrascriptum Secretarium SS. D. N. relatione, Sanctitas Sua benigne approbavit.

Datum die 5 Octobris 1734.

L. EPISCOPUS ALBANENSIS CARD. PICUS PRAEF.
Joannes Archiepiscopus Tyri Secret.

LXXIV.

1.^m *An quoad participationem meritorum alienorum ac communicationem Indulgentiarum Tertius Ordo S. Francisci de Poenitentia tuto Bullaria sequi possit, ne dum quoad participationem meritorum alienorum, verum etiam communicationem omnium Indulgentiarum singulis ordinibus indultam?*

2.^m *An quoad Indulgentias obsit revocatio S. Memoriae Pauli V edita sub die 23 Maii 1706?*

3.^m *An quoad Indulgentias septem Ecclesiarum Urbis eidem Tertio Ordini obsit decretum San. Me. Innocentii XI decernentis Indulgentias Stationum Urbis, tantum pro diebus in Missali Romano assignatis suffragari; cum P. Engelbertus Pauck in sua vinea Seraphica Romae approbata fol. 148 asserat: Tertium Ordinem S. Francisci etiam post dictum decretum gaudere Indulgentiis septem Ecclesiarum et Stationum Urbis?*



4.^m Demum cum saepius in Bullis S. Sedis legatur: *Ordines Regulares, minime communicare in Indulgentiis intuitu alicujus particularis Religionis concessis*. Quid sub verbis illis *intuitu particularis Religionis* sit intelligendum?

Sac. Congregatio diei 5 Februarii 1735 respondit ut infra
Ad 1.^m Negative.

Ad 2.^m et 3.^m Affirmative.

Ad 4.^m Regulares gaudere privilegiis Indulgentiarum concessarum operibus ex Instituto peragentis.

LXXV.

HISPALEN.

An concedenda sit confirmatio erectionis Confraternitatis sub titulo Rosarii licet expressus consensus P. Generalis non interfuerit?

Sac. Congregatio diei 25 Aprilis 1735 respondit « Recurrant ad P. Generalem Ordinis Praedicatorum »

LXXVI.

An Indulgentiae Viam Crucis peragentibus a S. Sede concessae, etiam ad Vias Crucis erectas a non subjectis Ministro Generali Ordinis S. Francisci Regularis Observantiae extendendae intelligantur?

Sac. Congregatio sub eadem die respondit « Negative »

LXXVII.

NEAPOLITANA.

An peragentibus Actus Fidei, Spei, Charitatis etc. internos ante et post Communionem Eucharisticam Indulgentiae sint concedendae?

Sac. Congregatio diei 5 Julii 1735 respondit « Negative et gaudeant impetratis a Benedicto XIII.

LXXVIII.

Delato ad Sac. Congregationem Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositam Summario Hispanico idioma typis dato cujus titulus « *Sommario delle Grazie, Indulgenze, Giubilei, e Stazioni concesse ai Signori Re Cattolici nella sua Real Cappella di Nostra Signora della Concezione nel Convento di Nostro P. S. Francesco Casa Grande della Città di Granata, ed alle Medaglie che in essa Cappella si distribuiscono, concesse dalli Sommi Pontefici Leone X e confermate da molti Sommi Pontefici e nuovamente dal Nostro Santissimo Padre Clemente XII il giorno 30 Aprile dell'anno passato 1733* » eoque accurate examinato Sac. Congregatio sub die 5 Julii 1735 censuit prohibendum esse idem Summarium, tamquam continens concessiones et Indulgentias falsas apocryphas piarum aurium offensivas, scandalosas, Sanctae Sedis injurias sub poenis canonicis, et notificandum Procuratori Generali, atque supplicandum Sanctissimo pro expeditione Brevis committendo Ordinario Granatensi illius publicationem, qui curet ut lacerentur copiae praefati Summarii.

LXXIX.

ORDINIS S. AUGUSTINI.

An Indulgentiae concessa Ecclesiis Ordinis S. Augustini sint extendendae ad Ecclesias ubique locorum existentes in locis, ubi Conventus Ordinis non reperiuntur, favore Confraternitatis Circulatorum?

Sac. Congregatio diei 30 Julii 1735 respondit « Negative »

LXXX.

Cum sub die 9 Februarii 1729 Sanctae Memoriae Benedictus XIII benigne concesserit Privilegium quotidianum perpetuum Altari Sancti Romualdi in omnibus et singulis Ecclesiis Monachorum, Eremitarum et Monialium Ordinis Camaldulensium. Cumque deinde dubitatum fuerit, an praefatum Indultum intel-

ligendum tantum sit pro Altaribus tunc erectis, vel etiam pro Altaribus in posterum erigendis: Sac. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita instante pro resolutione praedicti dubii R. P. D. Petro de Zaghis Procuratore Generali ejusdem Ordinis, sub die 1 Octobris 1735 censuit, praedictum Indultum comprehendere tam Altaria, quae tunc reperiuntur erecta, quam in posterum erigenda. Et facta de praemissis Sanctissimo Domino relatione per me infrascriptum Secretarium sub die 5 ejusdem mensis Octobris Sanctitas Sua benigne approbavit.

L. EPISCOPUS ALBANENSIS CARD. PICUS PRAEF.
Joannes Archiepiscopus Tyri Secret.

LXXXI.

An Ordini S. Augustini competat facultas impertiendi Benedictionem Papalem certis diebus concedi solitam?

Sacra Congregatio diei 4 Februarii 1736 respondit « Non competere Ordini S. Augustini facultatem impertiendi Benedictionem Papalem, et inhibeat ea deinceps ».

LXXXII.

Sac. Congregatio Indulgentiis et Sacris Reliquiis praeposita sub die 4 Februarii 1736 censuit Indulgentias, quibus fruitur Congregatio Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini, Congregationis Sanctissimi Salvatoris extendendas esse ad Congregationem Canonicorum Regularium S. Ruffi, dummodo Institutum ejusdem S. Augustini profiteatur. Et facta de praedictis per me infrascriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro relatione sub die 22 dicti mensis Sanctitas Sua benigne approbavit.

A. M. Erba Protonotarius Apostolicus Secret.

LXXXIII.

Quum post expeditionem Privilegiorum Altarium in Urbe factam Brevia Apostolica, in quibus eorum concessio continetur, Ordinariis locorum, ut par est, nonnulli praesentare negligerent, et defrectarent eorum executionem, Sacra haec Congregatio sub

die 18 Maii 1711 provide modum impositura gratiarum executioni, statuit, *tempus in Brevibus Apostolicis positum pro concessione privilegii Altaris, non a die praesentationis Brevis Ordinario Loci, sed a die datae esse computandum.* Sed cum nimis diversa distantia Locorum ad quae hujusmodi Brevia transmittuntur in Regiones ab Urbe remotas, per longa et incerta maris itinera, nedum multorum mensium, sed annorum spatio Epistolae et Brevia retardentur, idque ut pluries citra Oratorum negligentia, inolevit praxis praeventive confirmationem gratiae ad tempus concessae expetere, eamque nondum expirato tempore primaevae concessionis expedire, ut opportune transmissa subsecuta privilegia ante pristinorum expirationem exequi possent; nec vacuum tempus intercederet Defunctorum suffragio et Fidelium Indulgentiis.

Quoniam vero in Brevis concessionis privilegii Altaris adjicitur clausula « *dummodo in eadem Ecclesia, nullum aliud sit Altare simili privilegio decoratum* »; propositum est dubium « *An secundum Breve Prioris confirmativum subsistat?* » *Quamvis enim executioni minime detur, nisi post lapsum temporis in primo Brevis praefixi: tamen quando secundum Breve in Urbe expeditur, vere Ecclesia privilegio Altaris decoratur?* »

Sac. Congregatio sub die 4 Februarii 1736 respondit « *Tempus in Brevibus Apostolicis positum pro confirmatione privilegii Altaris in Regionibus remotis, non a die datae, sed a die praesentationis Brevis Ordinario esse computandum* ».

LXXXIV.

URBIS ET ORBIS.

Ad humillimas preces Confratrum et Consororum Confraternitatis B. Virginis Septem Dolorum Sac. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita sub die 4 Februarii 1736 censuit concedendam esse Indulgentiam Plenariam semel in anno cum facultate applicandi pro defunctis, omnibus Christifidelibus eodem die, quo per spatium praescriptae horae meditationi Dolorum B. Virginis incubuerint ad septennium. Et facta

per me infrascriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro relatione sub die 22 Februarii currentis anni, Sanctitas Sua benigne approbavit.

L. EPISCOPUS ALBANENSIS CARD. PICUS PRAEF.
Joannes Archiepiscopus Tyri Secret.

LXXXV.

CLERICORUM REGULARIUM CONGREGATIONIS SCHOLARUM PIARUM.

1.^m *An sit concedenda facultas Praeposito Generali pro tempore aggregandi Sodalitia erecta vel erigenda in eorum domibus eisque privilegia et Indulgentias communicandi?*

2.^m *An et quae Indulgentiae concedendae sint supradicto primo Sodalitio?*

Sac. Congregatio diei 3 Decembris 1736 respondit

Ad 1.^m Pro gratia facultatis Praeposito Generali pro tempore erigendi Sodalitium in domo S. Pantaleonis Urbis, et ei aggregandi alia Sodalitia deinceps erigenda.

Ad 2.^m Habebitur ratio post erectionem.

LXXXVI.

MONIALIUM TERTII ORDINIS S. FRANCISCI.

An tam Moniales tertii Ordinis S. Francisci Oppidi De-Aveyro Conimbricensis Dioecesis, quam Monasteria similis Instituti in variis partibus Germaniae posita, licet sub cura et gubernio Ordinariorum, fruantur Indulgentiis earum Ordini generaliter concessis?

Sac. Congregatio sub eadem die respondit « Affirmative ».

LXXXVII.

Beatissimo Padre

Fra Leonardo dal Porto Maurizio Min. Rif. del Ritiro umilmente prostrato ai piedi di Vostra Beatitudine con ogni dovuto ossequio espone qualmente è stato promosso dubbio d'alcuno, se le Vie Crucis erette godino l'Indulgenza, che gode quella di Gerusalemme, mentre in queste non si osserva l'eguale

distanza de' passi tra una Stazione e l'altra, che intercede in quella di Gerusalemme; e perchè i Brevi Apostolici non parlano di detta distanza; e perchè questa non è stata mai praticata sì nelle Vie Crucis erette in Roma, come quelle erette fuori, quale non si puol praticare attesa l'angustia delle Chiese, Oratorii, e Luoghi Pii dove devono erigersi; ed a ciò per tal dubbio non si dismetta un sì santo Esercizio frequentato fin'ora con grandissimo frutto dell'anime; supplica pertanto la somma Clemenza della Santità Vostra degnarsi dichiarare non essere necessaria l'eguale distanza de' passi, come è in Gerusalemme, ma bastare ogni benchè minima distanza. Che della Grazia etc.

Die 3 Decembris 1736.

Sac. Congregatio Indulgentiis et Sacris Reliquiis praeposita declaravit, inter Stationes Viae Crucis non requiri distantiam aequalem Viae Crucis Jerosolymitanae. Et facta de praedictis Sanctissimo Domino Nostro relatione, Sanctitas Sua benigne approbavit.

LXXXVIII.

SUTRINA.

An competat Patri Generali Ordinis S. Augustini facultas distribuendi Monialibus Cincturas S. Monicae pro consecutione Indulgentiarum absque consensu illarum Ordinarii in casu etc.

Sacra Congregatio sub die 13 Septembris 1737 respondit « Negative ».

LXXXIX.

PROVINCIAE HELVETICAE.

An Patribus Missionariis Cappuccinis degentibus in Helvetia, ubi non sunt Patres Minores Observantiae danda sit facultas erigendi Viam Crucis cum Indulgentiis adnexis in casu etc.?

Sac. Congregatio sub eadem die respondit « Pro gratia facultatis erigendi Viam Crucis cum Indulgentiis consuetis de consensu tamen Fratrum Minorum de Observantia ».

XC.

Nuper Sac. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae delatum fuit per manus Christifidelium circumferri librum cui titulus « *Le Sacre Dovizie de' Vivi a pro de' Defonti, cioè breve ristretto dell' Indulgenze de' Fedeli e de' Regolari in commune, principalmente delle Indulgenze dell' Ordine Carmelitano etc.* » a quodam Religioso Ordinis Carmelitarum suppresso auctoris nomine absque legitima facultate Ordinis typis datum Panormi anno 1734. Cum vero in praefato libro nonnullas Indulgentias falsas aut apocryphas contineri deprehensum fuerit, ideo ne Christifideles decipiantur, eadem Sac. Congregatio sub die 13 Septembris 1737 dictum librum (alias per Definitorii Generalis ejusdem Ordinis decretum reprobatum) ejusque impressionem ubicumque sive factam sive faciendam, et usum interdixit illumque prohibuit sub poënis in Indice librorum prohibitorum contentis. Declarando tamen inter falsas et apocryphas non esse recensendas Indulgentias contentas in Summario Confratrum Ordinis B. Virginis de Monte Carmelo ab eadem Sacra Congregatione recognitas et approbatas sub die 27 Junii 1673, atque in eodem libro insertas. Factaque de his per me Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Clementi XII relatione die 13 mensis Novembris, Sanctitas Sua sententiam Sac. Congregationis approbavit, et in omnibus executioni mandari jussit.

Datum Romae die 15 ejusdem mensis anni 1737.

XCI.

Edito sub die 22 Novembris 1729 Decreto, videlicet « Cum Sanctissimus Dominus Noster Benedictus XIII S. Aloysium Gonzagam decreverit solemniter canonizandum, ut Adolescentibus praesertim venerandus, atque imitandus proponeretur juvenis innocentia vitae clarissimus; post ejus vero canonizationem multae per Orbem Scholae etiam extra Societatem Jesu, illum sibi magna cum utilitate imitandum ut exemplar, et venerandum ut Patronum proposuerint; ideo Sanctitas Sua, non solum in

omnibus et singulis Universitatibus, Gymnasiis, vel Collegiis generalium, vel non generalium studiorum; verum etiam aliis, si quibus alicubi placuerit, ubicumque existentibus, vel extituris, eundem S. Aloysium principalem constituit Patronum cum facultate Missam et Officium proprium de illo per Sedem Apostolicam approbatum dicendi pro Sacerdotibus, aut alias ad horas canonicas obstrictis, die ipsius anniversario 21 Junii in Ecclesiis dictae Societatis, vel aliis, ad quas accedere consueverint, aut voluerint; Indulgentia vero Plenaria quibuscumque rite visitantibus Altare ipsius in Festo ubicumque (juxta facultatem in Bulla Canonizationis attributam) fieri contigerit: ac Litteras Apostolicas desuper expediri mandavit. Die 22 Novembris 1729 - Loco ✠ Sigilli - Nicolaus Maria Tedeschi Archiep. Apam. Sac. Rituum Congregationis Secretarius. » Ortoque aliquibus in locis dubio, « *an ubi Festum ejusdem Sancti fit, non tamen ad Altare ipsius proprium (cum illic non adsit; vel si adsit non ad illum, sed ad majus, aut commodius Altare, magni concursus et solemnitatis causa celebretur) nihilominus rite visitantibus Altare in quo fit Festum, etiam si non sit ipsius proprium, dicta Indulgentia suffragetur?* » Sanctissimus Dominus Noster Clemens PP. XIII facta per me Cardinalem Congregationis super Indulgentiis Sacrisque Reliquiis Praefectum relatione Sanctitati Suae tam praefati dubii, quam precum desuper exhibitarum pro opportuna declaratione, benigne annuit; confirmatoque in reliquis Decreto, declaravit Indulgentiam suffragari. Die 21 Novembris 1737.

L. EPISCOPUS ALBAN. CARD. PICUS PRAEF.
Joannes Archiep. Tyri Secret.

XCII.

Sac. Congregatio Indulgentiis et Sacris Reliquiis praeposita inhaerendo decretis alias editis, censuit renovandam esse, prout expresse renovat prohibitionem quorumcumque librorum continentium concessionem, summaria, diaria Indulgentiarum, et quocumque alio nomine vel titulo nuncupentur absque praevia approbatione ejusdem Sac. Congregationis. Et facta de supradictis